



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Alexander IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



ANNO  
1248.

recipiendis novitiis & eorum instructione, de professione quæ primò debet fieri ab omnibus profitentibus in quibuscumque Domibus existentibus Priori Huyensi, prout in dicta Constitutione plenius continetur de levi culpa, de gravi culpa, de graviore, & gravissima culpa, de apostatis, de Domibus concedendis & contruendis, de electione priorum, qui omnes per Priorem Huyensem tenentur confirmari & insitui, de electione Definitorum Capitali generalis, de Capitulo quotidiano, de Capitulo generali quod quolibet anno in Huyense celebratur, ad quod Capitulum omnes priores . . . . . vel procuratores Domus suæ, sive Conventus convenire sunt astricti. De visitatoribus qui per priorem Huyensem committuntur nisi de se voluerit visitare, & priores exules super filias domus, secundum quod in dicta Constitutione continetur. De Itinerantibus, de Conversis, sub quibus Institutionibus, seu Constitutionibus præmissis vobis & successoribus vestris, omnibusque aliis fratribus habitum deferentibus sanctæ Crucis, & à Domo vestra dependentibus, in quibuscumque locis existentibus tam presentibus quam futuris utendi de Divinis officiis & Institutionibus præmissis, ac etiam tenendi possessionem in communi si à Christi fidelibus vobis, & omnibus membris vestris intuitu pietatis conferantur, autoritate Domini nostri Papæ in hac parte nobis commissa concedimus facultatem, atque pro temporibus futuris vos, & successores vestros in perpetuum secundum Constitutiones, seu Institutiones præmissas & Regulam B. Augustini memoratam regulariter vivere autoritate præmissa per presentes concedimus, in cuius rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro fecimus insigniri. Datum in Castro nostro Huyensi Anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragésimo octavo, ultima die mensis Decembris.

ALEXANDER QUARTUS  
PONTIFEX CLXXXIII.

ANNO  
1254.

ANNO DOMINI MCCLIV.

**A**lexander Anagninus, antea Raynaldus, vel Rolandus nuncupatus Innocentium excepit, sub quo Guelphorum, & Gibelinorum turbis Italia æstuabat. Obiit anno 1261. Pontificatus Sexto. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 106.*)

I.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I. Col.  
1059.

Revocatio quarundam litterarum, & sententiæ ab Innocentio IV. latæ in Regulares: anno 1254.

ALEXANDER EPISCOPUS.

*Venerabilibus universis Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatibus, & ceteris personis Ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, cujuscumque ordinis & professionis existant, salutem & Apostolicam benedictionem.*

**N**on insolitum est neque novum, ut ea quæ per occupationem vel in festinantia fiunt,

ANNO  
1254.

pro eo quod congruè lineam deliberationis prætereunt, in propensioris considerationis reducuntur exameni, ut rectiora & eliminatoria per attentionem plenioris discussionis emanent. Sanè quædam ab Apostolica Sede tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri litteræ processerunt; in quibus ipse universis religiosis cujuscumque professionis vel ordinis existant, districtè in virtute sanctæ obedientiæ injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis & festivis non reciperent de cetero in suis Ecclesiis seu Oratoriis temerè ad divina, nec ipsos ullatenus ad penitentiam admitterent, sine suorum Licentia Sacerdotum: nec eis in suis prædicarent Ecclesiis ante Missarum Solemnia, pro quibus audiendis primæ diei parte iidem parochiani consueverunt, & debent in suis Ecclesiis convenire: nec sermones etiam solemnes facerent illa hora, sed nec ad prædicandum solemniter ad Parochias alienas accederent nisi essent ab earum sacerdotibus invitati; vel saltem nisi se ad id humiliter paterent & obtinerent admitti; nec ea die qua Diocesanus Episcopus vel alius loco ejus prædicaret solemniter maximè in Ecclesia cathedrali, aliquis ipsorum in eadem civitate vel loco præsumeret prædicare. Si verò in casu licito Parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omniumque obtentu consequerentur hujusmodi sepulturæ portionem canonicam, vel non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum Episcopo vel Sacerdoti de cuius Parochia mortuus est assumptus exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum hujusmodi transgressor contra prædicta vel aliqua prædictorum venire præsumeret, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subjaceret, & nihilominus à Diocesano ad præmissa & singula observanda per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra hujusmodi indulgentiis & privilegiis Apostolicis valituris. Verum quia super præmissis Litteris cogitare attentius & studiosius deliberare proponimus pacis commodum, & quietis solatium Ecclesiis & personis Ecclesiasticis potissimè cupientes præfatas litteras & si quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo contra præfatos religiosos & aliquos ex ipsis, generaliter & specialiter, præter formam communem & solitam processere, ac mandata seu præcepta facta in eis, vel earum auctoritate duximus penitus revocanda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per hujusmodi litteras vel occasione mandatorum seu præceptorum aut sententiæ quam continent, nihil proferas agatis cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem. Datum Neapoli XI. Calendas Januarii Pontificatus nostri anno primo.

Quod nullus fratrum Prædicatorum alii possit peccata confiteri, quàm suis Prælatibus, nisi urgente necessitate: anno 1254.

II.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 1060.

ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**C**um magister & Priores Ordinis vestri more petiti medici vinum & oleum sciant infundere vulneribus sauciati, auctoritate vobis presentium inhibemus, ne aliquis vestrum alius quàm Prælatibus suis peccata sua confiteri præsumat nisi necessitatis urgente periculo, vel nisi forsan dictus magister vel Prior proprius alicui fratri licentiam



ANNO  
1255.dederit fratri alteri ejusdem Ordinis confitendi.  
Nulli ergo &c.

Datum Neapoli VIII. Calendas Martii Pontificatus nostri anno primo.

III.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 1063.

Quod Fratres Prædicatores &amp; Minores in Diocesis eorum constituti, vel qui ad præsentiam Prælatorum pervenerint permittantur uti liberè suis observantiis, statutis &amp; Indulgentiis Apostolicæ Sedis: anno 1255.

ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus prioribus, decanis, Archidiaconis, præpositis, archipresbyteris & aliis Ecclesiarum prelati Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Patris æterni benignitas pro sui nominis attolenda gloria, & fidelium procuranda salute inter personas plurimas divinis obsequiis deputatas viros in Ecclesia sua sancta constituit conversationis & vitæ honestate conspicuos, ac scientiæ ritualis insignitos. Hi sunt dilecti Deo & hominibus fratres ordinis Prædicatorum & minorum, qui suum semper affectum ad amorem cœlestium dirigentes, virtutem nominis divini per orbem terræ publicant, & pro christiana religionis ampliando cultu vigili attentione desudant. Hi sunt qui vitam & merita Beatissimi Pauli Apostoli contemplantes gloriantur in sola cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis Paradisi. Hi sunt qui hostes animæ per scutum fidei & lorica m justitiæ & gladium Spiritus, salutis galeam & hastam perseverantiæ debellantes, obtinere satagunt, ut catholicis universis fidei, spei & charitatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat, & heretiæ pravitate infamia evanescat.

De tantorum siquidem meritorum provenit claritate, quod vos fratres eosdem effectu sincerissimo in Christo diligimus, & ipsos ubique terrarum statu gaudere pacifico affectamus, pro re indigna & nimis amara ducentes, si quis de numero fidelium, & potissime prælatorum, eos aliquibus turbat injuriis vel offensis. Rogamus itaque devotionem vestram, & per Dei misericordiam obsecramus, per Apostolica Scripta vobis mandantes, ac in remissione peccaminum injungentes, quatenus illos qui sunt in vestris civitatibus & diocesis constituti, seu qui in præsentiam vestram quocumque pervenerint pro divina & nostra reverentia affabiliter ac benigne recipere, ac eos vestræ caritatis studiat affluencia conservare permittendo ipsos uti liberè regularibus eorum observantiis & statutis per Sedem Apostolicam approbatis, ac etiam indulgentiis & litteris quas circumspècta pietas sedis ejusdem eis olim concessisse dignoscitur de gratia speciali. Ceterum prædictos fratres de favoris vestri plenitudine plenius honorantes, eis liberaliter concedatis, ut quæ sunt opportuna pro animarum salute ab eis auctoritate nostra liberè valeant exerceri, præsertim cum ipsi cordi habebant ministerium suum ita laudabiliter & prudenter exsequi, quod exinde apud vos possint sinceram & stabilem benevolentiam promereri. Preces autem nostras quas vobis ex intimo cordis affectu dirigimus, sic adimpleat vestra sinceritas quod propter hoc vobis gratiosi favoris præmia opportuno tempore compensemus.

Datum Neapoli V. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno L.

ANNO  
1256.IV.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 1066.

Quod Minister Generalis Fratrum Minorum, Obligatos Ordini Fratrum Prædicatorum non recipiat: anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis generali Ministro & fratribus ordinis minorum salutem & Apostolicam benedictionem.*

Quo vos in Christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius ut in cunctis providi fatis & vigiles affectamus, turbationis non modicæ spiritum assumentes, sed de vobis quandoque contrarium ad nos relatu perveniat aliquorum. Sane ammirantes accepimus quod vos non absque offensa recitudinis, quæ in vestris dicitur actibus haberi continè specialis, fratres Prædicatores & eorum ordini obligatos frequenter ad vestrum recipiatis ordinem, unitatem spiritus in pacis vinculo non servantes. Verum cum ex hoc scissuræ possint & scandali oriri materia, quæ solatium pacis æternæ quærentibus debet omnimodis existere peregrina, universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus tam fratres eosdem, quam eorum ordini voto vel juramento etiam obligatos nullatenus de cetero prætextu indulgentiæ alicujus seu aliquarum Litterarum obtenturarum à sede Apostolica vel etiam obtinendarum in posterum, quæ de præsentibus expressam non fecerint mentionem, nisi prioris sui petita & obtenta licentia, recipere præsumatis: Alioquin decernentes irritum & inane quidquid per vos in hac parte contra præceptum nostrum contigerit attentari, præsentium auctoritate statuimus, ut hujusmodi præsumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, à qua nunquam absolvi valeant, nisi se apud Sedem Apostolicam personaliter repræsentent, ab ea sicut sibi visum fuerit absolvendi. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji, Pontificatus nostri anno II.

Similes dedit idem Pontifex Litteras ad Fratres Eremitas Ordinis S. Augustini &amp; sancti Guillelmi Viterbii III. Nonas Martii Pontificatus sui anno IV.

Ne quis apud Fratres Minores recipiatur ad professionem ante annuam probationem, anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei dilectis filiis generali Ministro & fratribus ordinis fratrum minorum Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii probationis tempus à Sanctis patribus est indultum, ut ille asperitates istius & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati Benedicti præcipitur ut ad conversionem noviter venienti non facilis tribuatur ingressus: Sed sicut docet Apostolus num sit ex Deo Spiritus comprobetur; & dura & aspera per quæ itur ad Deum exponantur. Præterea in eadem regula subjungitur; & dicatur ei; Ecce lex sub qua militare desideras, si eam observa-

V.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 1067.Reg. Sancti Bened.  
cap. 58.



ANN O  
1256.

re potes, ingredere; alioquin liber venisti, liber discede. Insuper felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster statuit, ut positi in probatione novitii ante susceptum religionis habitum qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam ad statum pristinum redire possint liberè infra annum & ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam Locis religiosis novitorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitorum, ac professorum habitus discernatur. Licet igitur Zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicitè cupiatis, quia tamen decet & expedit, ut conscientie puritatis non desit iudicium rationis ne unde spiritalis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientie sub pena excommunicationis auctoritate presentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsam, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri Ordinis, seu renunciationem seculi faciendam recipere præsumatis, nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quominus infra eundem annum probationis, ad aliam religionem quam maluerit transeat sicut de sua processerit liberè voluntate. Non obstantibus statuto contrario, si quod à vobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris à sede Apostolica impetratis seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra huiusmodi nostram inhibitionem quemquam recipere præsumeritis decernimus eum qui taliter receptus fuerit nullatenus esse vestro ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjiandos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consueverit. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji Pontificatus nostri anno II.

VI.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 1068.

Quod nullus Prælati possit Fratres Prædicatores ad secum manendum, & sua negotia procuranda assumere: anno 1256.

## ALEXANDER EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Petitionibus vestris tam piis quam providis paternæ benignitatis gratia, quæ filiis utiliora prospicit, assensum benivolam impendentes, ut nullus legatus nisi de latere nostro missus auctoritate litterarum sedis Apostolicæ speciale de presentibus non facientium mentionem, aut Prælati aliquis de fratribus vestri ordinis ad sua seu Ecclesiæ suæ negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos prior provincialis ipsorum ramquam idoneos & discretos sibi duxerit, quosque subiacere volumus ordinis disciplinae auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis II. Idus Maji Pontificatus nostri anno II.

URBANUS QUARTUS  
PONTIFEX CLXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXI.

Urbanus Trecentis, nomine Jacobus Pantaleo, obscuro genere ortus, successit Alexandro IV. anno 1261. Crucem contra Manfredum, qui se Sicilia Regem fecerat Pontificibus infestum, sumi iussit. Dein Orvetum secedens Carolus Comitem Andegavensem in Italiam vocavit, utriusque Sicilia Regem illum facturum. Festum postea Corporis Christi, quia in Longobardiâ sacrificio incredulo factis operante sanguis ex Hostia profluxerat, instituit. Obiit anno 1264. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 120.*)

Collegia Begghinarum, & Recluserum Diocesis Leodiensis in suam potestatem suscipit: anno 1261.

## URBANUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, universis Collegiis Begghinarum, & Recluserum Leodiensis Diocesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Sedes Apostolica devotas, & humiles filias ex assuetâ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eas tamquam pia mater suæ protectionis munimine confavere.

Ea propter dilectæ in Christo filia vestris postulationibus annuentes, personas vestras, & Loca, in quibus sub communi vita degitis, cum omnibus bonis, quæ in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, Domino dante, poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præstatis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostræ protectionis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Viterbii nonis Julii Pontificatus nostri anno primo.

Alterum in favorem Begghinarum Leodiensium: anno 1261.

## URBANUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei dilecto filio Decano Leodiensi salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Primum esse dignoscitur, ut gloriantibus in malitia per nos taliter obstitatur, quod repressis eorum insultibus vacantes Divino cultui liberius possint in observantia mandatorum

ANN O  
1261.

I.  
Ex Op.  
Dipl. Miræi  
Tom. I.  
Pag. 429.

II.  
Ex Op.  
Dipl. Miræi  
Tom. I.  
Pag. 430.